

VERSION LATINE

Les vertus du rire

Habet* enim, ut Cicero dicit, sedem in deformitate aliqua et turpitudine ; quae cum in aliis demonstrantur, urbanitas, cum in ipsos dicentis reccidunt, stultitia uocatur. Cum uideatur autem res leuis, et quae ab scurris, mimis, insipientibus denique saepe moueatur, tamen habet uim nescio an imperiosissimam et cui repugnari minime potest. Erumpit etiam inuitis saepe, nec uultus modo ac uocis exprimit confessionem, sed totum corpus ui sua concutit. Rerum autem saepe, ut dixi, maximarum momenta uertit, ut cum odium iramque frequentissime frangat. Documento sunt iuuenes Tarentini, qui multa de rege Pyrrho sequius inter cenam locuti, cum rationem facti reposcerentur et neque negari res neque defendi posset, risu sunt et oportuno ioco elapsi. Namque unus ex iis « Immo, inquit, nisi lagona defecisset, occidissemus te », eaque urbanitate tota est inuidia criminis dissoluta.

Verum hoc, quidquid est, ut non ausim dicere carere omnino arte, quia nonnullam obseruationem habet, suntque ad id pertinentia et a Graecis et a Latinis composita praecepta, ita plane adfirmo praecipue positum esse in natura et in occasione. Porro natura non tantum in hoc ualet, ut acutior quis atque habilior sit ad inueniendum (nam id sane doctrina possit augeri), sed inest proprius quibusdam decor in habitu ac uultu, ut eadem illa minus alio dicente urbana esse uideantur.

Quintilien

* comprendre *risus*